

Gregorius <Papa, I.> / Ewald, Paul / Hartmann, Ludwig M.

Gregorii I papae registrum epistolarum

Bd.: 1

Berolini u.a. 1891

München, Institut für Griechische und Lateinische Philologie / Bibliothek für Lateinische Philologie de  
urn:nbn:de:bvb:12-bsb00000535-3

V, 57<sup>a</sup>.

*Synodus episcoporum 23, in qua constituitur 1<sup>o</sup>, ne in Romana ecclesia sacri altaris ministri cantent; 2<sup>o</sup>, ut clerici vel monachi cubiculariorum officiis fungantur; 3<sup>o</sup>, ne quis ecclesiasticorum titulos ponat; 4<sup>o</sup>, ne ullo tegmine veletur feretrum, quo Romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur; 5<sup>o</sup>, ne pro ordinatione neve pro pallio neve pro chartis neve pastelli nomine neve ordinandus neve ordinatus quicquam tribuat; 6<sup>o</sup>, ne ecclesiae servi, nisi examinatis moribus, ad Dei servitium admittantur.* 595, Iul. 5.

*Codd. R\* 1: Ind. XIII. post n. 43. Barcinon. (Cf. Villanueva, V. l., XVIII p. 88 ss.) Monac. 5508. (Parisin. 12, 255. H 3. 4 n. CIII).*

*Edd. M: Append. V; G: Lib. IV. ep. 44 et post l. XII. (Gonzalez: Coll. can. Hisp. Pars II p. 162). 10  
— Iaffé Reg. post n. 1365 (988).*

INCIPIIT DECRETUM<sup>1</sup> AD CLERUM IN BASILICA BEATI  
PETRI APOSTOLI.

Regnante in perpetuum Domino<sup>a</sup> nostro Iesu Christo<sup>b2</sup>, temporibus piissimi ac serenissimi<sup>c</sup> domni<sup>d</sup> Mauricii Tiberii et Theodosii Augustorum<sup>e3</sup>, eiusdem domni imperii<sup>f</sup> Mauricii anno tertio decimo, indictione tertia decima, quinto die mensis Iulii<sup>4</sup>: 15

V, 57<sup>a</sup> *Hoc decretum deest in registro, sed epistulis additur in R\*, ubi singula capitula aut numeris (I. II. III) aut intervallis (IV. V. VI) distinguntur. Maassen, Quellen u. Litt. des canon. Rechts, I p. 302, decem vetustas canonum collectiones enumerat, in quibus exstat; quarum nonnulli codices collati sunt ab Ewald: 1) codex bibliothecae capitularis Barcinonensis (= B), litteris maiusc. scriptus saec. VII. aut VIII., continens homilias S. Gregorii super evangelia, sermonem de mortalitate eiusdem Gregorii et synodum anni 595; cuius synodi ex codice praedicto apographum publicavit Villanueva Viage literario, XVIII, 286 s.; in hoc codice distinctiones capitulorum desiderantur. (Etiam in codice Bigotiano, quo Maurini usi sunt, hoc decretum sequitur homilias in evangelia) — 2) codex Monacensis 5508 (Diessensis 8; cf. Maassen, l. l. p. 632) s. VIII—IX — Initium huius synodi continent 3) H 3. 4 (de quibus cf. ep. I, 39<sup>a</sup> not.) n. CIII (Gonzalez CI); 4) Parisin. 12, 255 (sine capit. distinctione). — Cf. Ewald, N. A. III p. 552 ss.* 20

*Incipit etc.: ita B; incipit decretum Gregorii papae Mon.; (item Mon. 6243 = Fris. 43; cf. Maassen, l. l. p. 477); incipit ad populum in basilica b. Petri apostoli Paris.; beati Gregorii pape H 4; om. H 3; acta synodi sancti Gregorii papae R\* l. a) deo add. Mon. b) verba regnante usque christo om. H 3. c) sincerissimi B. d) piissimorum agustorum (om. ac ser. domni) H 3. 4; piissimi in piissimorum atque serenissimi in serenissimorum corr. R\* l. e) H 3. 4 om. verba Augustorum usque Mauricii. f) imperio Mon. Par.* 30

V, 57<sup>a</sup> *Huius synodi (capitis V.) mentionem facit Gregorius ep. V, 62, Aug. 15. a. 595 (ib. n. 4) et, ut Maurini putant, Beda, h. eccl. II, 1, his verbis: libello quoque synodico, quem cum episcopis Italiae de necessariis ecclesiae causis utillimum composuit. — Iohannem presbyterum Constantinopolitanum hac synodo absolutum esse verisimile est: cf. ep. VI, 14 s.; Grisar, in Zeitschr. f. kathol. Theologie IV (1880) p. 496. — Wisbaum thesi dissertationi laudatae adnexa contendit — nescio quibus causis adductus — haec decreta collectionem quandam esse canonum earum synodorum, quae initio pontificatus Gregorii celebratae sint. — De falso quodam de monasteriis decreto huic synodo attributo cf. Iaffé Reg. † 1366 (998). 1) Diurn. 83: omnia decreta predecessorum apostolicorum nostrorum pontificum quoque vel synotaliter vel specialiter statuerunt et probata sunt etc. 2) Regnante domino nostro Iesu Christo cum Deo patre per infinita saecula in epistulis Leonis III: cf. Iaffé Regesta. 3) Theodosius a. 590, 26. die m. Martii, a patre Mauricio in imperium adscitus est. Cf. Muralt, Chronographie Byzantine, p. 249. 4) Hac forma temporis notas diplomati addendi papae etiam in epistulis utuntur (cf. Ewald, N. A. III, p. 549), ut ex epistulis a Beda traditis, ex formula Diurni 7. etc. apparet; sed mensis et dies ante imperatorem, consulatum, indictionem in epistulis ponitur excepta illa concessione, quae Andreae abbati inscripta est (Reg. XI, 15 = Maur. app. IX). — Raro hoc tempore occurrit mos dies per ordinem enumerandi ratione non habita kalendarum, nonarum, iduum. Cf. Ideler, Handbuch der Chronologie, II p. 191. Savigny, System des röm. R., IV p. 331. Stintzing in Zeitschr. f. Rechtsgesch., 40*



Gregorius papa coram sacratissimo beati Petri apostoli corpore<sup>1</sup> cum episcopis et<sup>a</sup> omnibus Romanae ecclesiae presbyteris residens adstantibus<sup>b</sup> diaconibus<sup>2</sup> et cuncto clero dixit:

(I.)<sup>c</sup> In sancta hac Romana ecclesia, cui divina dispensatio<sup>d 3</sup> praeesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium<sup>e</sup> cantores<sup>4</sup> eligantur et in diaconatus ordine constituti modulationi vocis serviant<sup>f</sup>, quos ad praedicationis officium elemosinarumque studium vacare congruebat. Unde fit plerumque, ut ad<sup>g</sup> sacrum ministerium, dum blanda vox quaeritur, quaeri<sup>h</sup> congrua vita negligatur<sup>i</sup> et cantor minister Deum moribus stimulet<sup>k</sup>, cum populum vocibus delectat. Qua de re praesenti decreto constituo, ut in<sup>l</sup> sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant<sup>4</sup> solumque evangelicae lectionis officium inter missarum sollemnia exsolvant. Psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos vel, si necessitas exigit<sup>m</sup>, per minores ordines<sup>5</sup> exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire temptaverit, anathema sit. Et responderunt omnes: Anathema sit.

(II.)<sup>n 6</sup> Verecundum mos torporem indiscretionis involvit<sup>o</sup>, ut huius sedis pontificibus<sup>p</sup> ad secreta cubiculi servitia laici pueri ac saeculares obsequantur et, cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerumque clerici, qualis in secreto sit vita sui pontificis<sup>q</sup>, nesciunt, quam tamen, ut dictum est, saeculares pueri sciunt. De qua re praesenti decreto constituo<sup>r</sup>, ut quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi ministerio cubiculi pontificalis obsequantur, ut is qui in loco est regiminis testes tales habeat talesque<sup>s</sup> viri<sup>t</sup> eius<sup>u</sup> in secreto conversationem videant<sup>v</sup>, qui<sup>w</sup> ex visione sedula<sup>x</sup> exemplum profectus<sup>y</sup> sumant<sup>z</sup>.

<sup>a</sup>) et H 3. 4; om. ceteri, sed R\* 1 addit post ecclesiae. <sup>b</sup>) assistentibus R\* 1. <sup>c</sup>) hoc primum capitulum deesse in codd. Capucin. Rotomagensi notant Maurini. <sup>d</sup>) dispositio R\* 1. <sup>e</sup>) corr. in sacra a. ministeria R\* 1. <sup>f</sup>) ita B; instent R\* 1; inserviant cet. codd. <sup>g</sup>) ad om. R\* 1. H 3. 4. <sup>h</sup>) quaeri om. H 3. 4. <sup>i</sup>) negligitur H 3. 4. <sup>k</sup>) famulatur (superscr. stimulet) R\* 1. <sup>l</sup>) in om. Par. <sup>m</sup>) ita B. Monac. R\* 1; exiget H 3. 4; fuerit Paris., edd. M. G. inter ep. <sup>n</sup>) secundum capitulum H 3. 4. <sup>o</sup>) invaluit Mon.; verecundus mos tempore indiscretionis inolevit ed. M.; indiscretionis Mon; indiscriptionis Par. <sup>p</sup>) pontifices Par. <sup>q</sup>) vitae suae pontifices Mon. <sup>r</sup>) constituimus, om. verba ut usque regiminis R\* 1. <sup>s</sup>) habeat testes tales (omisso primo tales) B. Mon. Par. R\* 1; testes tales habeat (omisso altero tales) H 3. 4. <sup>t</sup>) talesque viri Monac.; qui vere B; qui vitam Par. R\* 1; habeat ut eius H 3. 4. <sup>u</sup>) illius et R\* 1. <sup>v</sup>) videant et cetera desunt in Par. <sup>w</sup>) ita B. H 3. 4; quae Monac.; quo R\* 1. <sup>x</sup>) ipsa R\* 1. <sup>y</sup>) subiectus R\* 1. <sup>z</sup>) si quis vero contra hoc decretum meum venerit, ipse de suo loco pereclitabitur add. H 3. 4; cetera desunt H 3. 4.

V p. 338, et Mommsen ib., VI p. 88 ss. Hic dies enumerandi ordo in partibus Orientis iam antea, in Italia primum in inscriptione a. 619 invenitur (sed in Gallia haec forma: ubi fecit mensis — dies tot iam saeculo sexto usitata); cf. etiam Diurni f. 7. — Etiam quibusdam Gregorii epistulis, quae in collectionem Pauli receptae sunt, notae temporis tales adduntur. (Ewald, N. A. III p. 581.)

1) Cf. superscriptionem et in ep. V, 62: ante corpus b. Petri apostolorum principis. 2) Nota presbyteros residere et partem synodi esse, diaconos vero adstare neque subscribere. 3) Diurn. 46: quibus divini dispensatione consilii preesse nos contigit; saepius occurrit: cui deo auctore deservimus. 4) Hilarum papam cantores instituisse eiusdem papae vita contendit. Iohannes diac., II, 6 narrat: (Gregorius) scholam quoque cantorum . . . constituit eique cum nonnullis praediis duo habitacula . . . fabricavit, eo certe quod post hoc decretum clericis, qui officii cantorum fungebantur, certus cantorum ordo substituebatur. Formulae Diurni 3. post presbyteros etc. et lectorem cantor et ceteri subscribebant. (Cf. Ducange s. v. cantor.) 5) Scilicet acolytum vel lectorem; cf. Diurni f. laud. 6) Cf. Ennodii 8. (M. G. p. 12): praeceptum quando iussi sunt omnes episcopi cellulanos habere. De cubiculariis cf. Ducange h. v.; etiam in ecclesia Constantinopolitana cubicularii serviebant.



(III.) Consuetudo nova<sup>a</sup> in hac ecclesia et valde reprehensibilis erupit, ut, cum rectores eius patrimonii urbana vel rustica praedia iuri<sup>b</sup> illius competere posse suspicantur, fiscali more titulos<sup>1</sup> imprimant atque hoc quod competere pauperibus aestimant non iudicio, sed manibus defendant. Et cum per praedicatores suos veritas dicat: 'Nihil per contentionem', etiam ipsum<sup>c</sup> litigiosae contentionis malum transcendunt<sup>d</sup>, et res quaelibet, cum aestimatur ecclesiae posse competere, per vim tenetur. Proinde praesenti decreto constituo, ut, si quis ecclesiasticorum umquam titulos ponere sive in rustico sive in urbano praedio sua sponte praesumpserit, anathema sit. Et responderunt omnes: Anathema sit. Is autem qui ecclesiae praeest, si hoc vel ipse fieri praeceperit<sup>e</sup> vel, si<sup>f</sup> sine sua praeceptione factum reppererit<sup>f</sup>, digna punire animadversione<sup>g</sup> neglexerit, anathema sit. Et<sup>h</sup> responderunt omnes: Anathema sit.

(VI.) Sicut indignos nos per<sup>i</sup> beati Petri apostoli<sup>k</sup> reverentiam<sup>1</sup> mens fidelium veneratur, ita nostram infirmitatem decet semetipsam semper agnoscere et<sup>m</sup> impensae sibi venerationis onera<sup>n</sup> declinare. Ex amore quippe fidelium huius sedis rectoribus mos ultra meritum erupit, ut, cum eorum corpora humi mandanda<sup>o</sup> deferuntur, haec dalmaticis<sup>2</sup> contegant easdemque dalmaticas pro sanctitatis reverentia sibimet partientidas<sup>p</sup> populus scindat: et cum adsint multa a sacris corporibus apostolorum martyrumque<sup>q</sup> velamina, a<sup>r</sup> peccatorum corpore sumitur, quod pro magna reverentia reservetur<sup>s</sup>. De qua re praesenti decreto constituo, ut feretrum<sup>3</sup> quo Romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, nullo tegmine veletur. Quam decreti mei curam gerere sedis huius presbyteros ac diaconos censemus. Si quis vero ex eorum ordine haec<sup>t</sup> curare neglexerit, anathema sit. Et<sup>u</sup> responderunt omnes: Anathema sit.

(V.) Antiquam<sup>v</sup> patrum regulam sequens nihil umquam de ordinationibus accipiendum esse constituo<sup>4</sup> neque ex datione pallii<sup>5</sup> neque<sup>w</sup> ex traditione cartarum<sup>6</sup> neque ex ea quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione pastelli<sup>7</sup>. Quia

<sup>a</sup>) mala R\* 1.      <sup>b</sup>) iure B. Monac.      <sup>c</sup>) ipsum om. R\* 1.      <sup>d</sup>) transcenditur Mon. R\* 1.  
<sup>e</sup>) fieri praecepit B; fecerit R\* 1.      <sup>f</sup>) si om. codd. n., scr. Mommsen — reppererit om. Mon. R\* 1. edd.  
<sup>g</sup>) animadversitate R\* 1.      <sup>h</sup>) verba et usque sit om. R\* 1.      <sup>i</sup>) nos per om. R\* 1.      <sup>k</sup>) apostoli  
om. R\* 1.      <sup>l</sup>) reverentia B. R\* 1.      <sup>m</sup>) verba et usque declinare om. B.      <sup>n</sup>) verba onera usque  
easdemque om. R\* 1.      <sup>o</sup>) ita B; humanda Mon.      <sup>p</sup>) partientes R\* 1.      <sup>q</sup>) que om. B.      <sup>r</sup>) vela-  
mine (om. a) Mon.      <sup>s</sup>) servetur R\* 1; habetur Mon.      <sup>t</sup>) hoc Mon.      <sup>u</sup>) verba et usque sit om. R\* 1.  
<sup>v</sup>) antiquorum Mon.      <sup>w</sup>) verba neque usque cartarum om. R\* 1.

1) De titulis cf. ep. V, 38 p. 325 n. 3.      2) De genere vestium, quod dalmatica appellatur, cf. Ducange h. v.; tempore Gregorii et antea diaconos Romanae ecclesiae dalmaticis usos esse ex Dial. IV, 40. Ioh. diac. IV, 83. 84 apparet. Cf. etiam ep. IX, 219.      3) Cf. Dial. IV, 40.      4) De simonia cf. ep. Gregorii passim et de sportulis ordinanti lege concessis Nov. 123 c. 3.      5) Consuetudinem hanc noster abolere non potuit. In vita Leonis II (a. 682–83) narratur: fecit constitutum . . . ut qui ordinatus fuerit archiepiscopus (Ravennas) nulla consuetudine pro usu pallii aut diversis officiis ecclesiae persolvere debeat; ex quo intellegi potest ceteros has consuetudines persolvere debuisse. Etiam ex ep. Zachariae papae Bonifatio scripta I-E. 2271 (a. 744 Nov. 5) apparet morem commoda accipiendi pro pallii datione extinctum non esse. De maioribus in dies huiusmodi oblationibus cf. Woker, das kirchl. Finanzwesen der Paepste (1878), p. 9 ss. Cf. etiam Diurni f. 74: sacerdotium nullo praemio concedi, excepto officiis, quibus ex antiqua consuetudine dari solet.      6) Eadem distinctio inter commoda ordinanti et commoda eius ministris praestanda occurrit in Nov. 123 cit. et ep. Zachariae cit.; cf. Nov. 8. Postea differentia eadem statuitur inter servitia communia (propinas) et servitia minuta (minutiae in ep. I, 42, p. 64, 1). Cf. Woker l. l. p. 15 ss.      7) Cf. verba: libellus, libellaticum; caena, caenaticum etc. Gussanvill. putat pastellum idem esse ac pastum, convivium; pro hac opinione citantur nonnulla concilia aliquot saeculis post hanc synodum habita. Macer in Hierolexico (cf. Ducange h. v.) contendit illam vocem derivandam esse a voce: pastellus = sigillum sive eius impressio in massa cerea, ita ut pastellaticum esset donum pro sigilli impressione (postea etiam pro plumbo pecunia dabatur; cf. Woker, l. l.). Cf. Ioh. diac. II, 5: de pastillatico.



enim ordinando episcopo pontifex manum ponit<sup>a</sup>, evangelicam vero lectionem minister legit, confirmationis autem eius epistolam notarius scribit<sup>b</sup>, et<sup>c</sup> sicut pontificem non decet manum<sup>d</sup> quam imponit vendere, ita minister vel notarius non debet in ordinationem eius vocem suam vel calamum<sup>e</sup> venundare<sup>f</sup>. Pro ordinatione ergo vel pallio<sup>g</sup> seu cartis atque pastello eundem qui ordinandus est vel ordinatus<sup>h</sup> omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus praedictis rebus si quis hunc<sup>i</sup> aliquid commodi appellatione exigere vel petere forte praesumpserit, in districto<sup>k</sup> Dei omnipotentis examine reatui<sup>l</sup> subiacebit. Is autem<sup>m</sup> qui ordinatus fuerit, si non ex placito neque exactus aut petitus<sup>n</sup> post acceptas cartas et pallium offerre aliquid cuilibet ex clero gratiae<sup>o</sup> tantummodo causa<sup>p</sup> voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia eius oblatio nullam culpae<sup>q</sup> maculam ingerit, quae ex accipientis ambitu non processit<sup>r</sup>.

(VI.) Multos ex ecclesiastica<sup>s</sup> familia novimus ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi in divino servitio valeant<sup>t</sup> in monasteriis conversari<sup>2</sup>; quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi<sup>u</sup> ecclesiastici iuris dominium occasionem praebemus. Si vero festinantes ad omnipotentis Dei servitium incaute retineamus<sup>v</sup>, illi invenimur negare quaedam, qui dedit omnia. Unde necesse est, ut quisquis ex iure ecclesiasticae<sup>w</sup> servitutis<sup>x</sup> ad Dei servitium converti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus<sup>3</sup> et, si mores eius<sup>y</sup> atque conversatio bono desiderio illius testimonium ferunt<sup>z</sup>, absque ulla retractatione<sup>a</sup> servire in monasterio omnipotenti Domino permittatur, ut<sup>b</sup> ab humano servitio liber recedat, qui divino obsequio<sup>c</sup> districtiorem subire appetit servitum<sup>d</sup>.

#### INCIPIUNT SUBSCRIPTIONES EPISCOPORUM<sup>e</sup>.

Gregorius gratia<sup>4</sup> Dei episcopus his decretis subscripsi. Marinius<sup>f</sup> episcopus

<sup>a</sup>) ita B; ex ponat corr. Mon; imponit R\* 1; Ioh. diac. <sup>b</sup>) excipit R\* 1. <sup>c</sup>) et om. Mon. R\* 1; Ioh. diac. <sup>d</sup>) pontificis domu non decet (suprascr. manum) R\* 1. <sup>e</sup>) ex calculum corr. B. <sup>f</sup>) vendere R\* 1. <sup>g</sup>) palle (om. vel) R\* 1; usu pallii Ioh. diac. <sup>h</sup>) qui o. est vel ordinatur Ioh. diac.; qui accepit vel ordinatur R\* 1. <sup>i</sup>) hunc om. R\* 1; hinc Ioh. diac. <sup>k</sup>) districti Mon. <sup>l</sup>) ita B. Ioh. diac.; reatu Mon.; reatu R\* 1. <sup>m</sup>) vero R\* 1. <sup>n</sup>) exactione petitur R\* 1. <sup>o</sup>) gratia Mon. <sup>p</sup>) dare add., om. ante offerre R\* 1. <sup>q</sup>) nulla culpa Mon.; nullam culpa R\* 1. <sup>r</sup>) quam accipientis ambitio non praecessit R\* 1 (praecessit etiam Mon.). <sup>s</sup>) seu saeculari add. edd. G. M. et secundum ed. M. Ioh. diac. <sup>t</sup>) familiaris add. R\* 1, edd., Ioh. diac. <sup>u</sup>) fugientibus R\* 1; eccl. vel saecularis Ioh. diac. <sup>v</sup>) retinemus R\* 1. <sup>w</sup>) vel saecularis militiae add. R\* 1, Ioh. diac., edd. G. (int. ep.) M. <sup>x</sup>) iuris eccl. servitute Mon., R\* 1, edd. <sup>y</sup>) illius R\* 1. <sup>z</sup>) bono desiderio fuerint R\* 1. <sup>a</sup>) retractatio R\* 1. <sup>b</sup>) et Monac.; ut et quae sequuntur cum omnibus subscriptionibus om. R\* 1, in quo spatium quoddam vacat. <sup>c</sup>) divini obsequii Mon.; in divino obsequio edd. <sup>d</sup>) hic explicit cod. Marcianus secundum editionem Venetam itemque vetustus valde codex Frisingensis, quo Mansi usus est. Ioh. diac. II, 16 addit: si autem et in monachico habitu secundum patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conversatus, post praefixa sacris canonibus tempora, licenter iam ad quodlibet ecclesiasticum officium provehatur, si tamen illis non fuerit criminibus maculatus, quae in testamento veteri morte multantur. <sup>e</sup>) ita B; explicit decretum Gregorii pape. subscriptio episcoporum Monac.; subscriptio episcoporum Maurini, qui in nota subscriptiones codicis Bigotiani (qui etiam homilias in evangelia continet) addunt. In Monacensi subscriptiones non eodem ordine proferuntur, atque in ceteris, ita ut secundus, quartus etc. episcopus usque ad Anastasium primum omittantur, tum post Proculum Praenestinum addantur eodem inter eos ordine servato, quo in ceteris codicibus exhibentur (ita: 1., 3., 5. . . . 21., 23. + 2., 4., 6. . . . 20, 22). Duabus ergo columnis in archetypo scriptae erant. <sup>f</sup>) Maurianus B; Marianus Mon.

1) Hoc capitulo non nisi de servis ecclesiae agitur; sed editores cum Iohanne diac. interpolant praecceptum Gregorii addendo servos laicorum. 2) Nota servum Dei vel ancillam Dei saepe a nostro pro monachis vel monachabus dici. 3) Per tres annos secundum Nov. Iust. 5 c. 2. 4) gratia Dei episcopus in subscr. f. 84 Diurni et in conc. a. 649; cf. form. I, 12 (= syn. Gregorii II a. 721): subscriptio constituti. 5) Ill. episcopus sanctae ecclesiae catholicae atque apostolicae urbis Romae huic constituto a nobis facto subscripsi, omitta scilicet hac formula in superscriptione usitata: servus servorum Dei. 5) De Mariniano



civitatis Ravennae. Paulus<sup>1</sup> episcopus civitatis Neptesenae<sup>a</sup>. Iohannes<sup>2</sup> episcopus civitatis Surrentinae<sup>b</sup>. Gratosus<sup>3</sup> episcopus civitatis Nomentum<sup>d</sup>. Iohannes<sup>4</sup> episcopus civitatis Falaritanae<sup>e</sup>. Agnellus<sup>f</sup> episcopus civitatis Terracinensis. Romanus<sup>6</sup> episcopus civitatis Blentanae<sup>g</sup>. Dominicus<sup>7</sup> episcopus civitatis Centumcellensis. Pelagius<sup>8</sup> episcopus civitatis Anagninae<sup>h</sup>. Felix<sup>9</sup> episcopus civitatis Portuensis. Iohannes<sup>10</sup> episcopus civitatis Belliternae<sup>i</sup>. Candidus episcopus civitatis Bulsinensis<sup>k</sup><sup>11</sup>. Luminosus<sup>12</sup> episcopus civitatis Ferentinae<sup>l</sup>. Virbonus<sup>13</sup> episcopus civitatis Tuscanensis<sup>m</sup>. Balbinus<sup>n</sup><sup>14</sup> episcopus civitatis Rosellensis<sup>o</sup>. Secundinus<sup>p</sup><sup>15</sup> episcopus civitatis Taurominensis<sup>q</sup>. Martianus<sup>16</sup> episcopus civitatis Ferentis<sup>r</sup>. Homobonus<sup>17</sup> episcopus civitatis Albanensis<sup>s</sup>. Dominicus<sup>18</sup> episcopus civitatis Utricolanae<sup>t</sup>. Constantinus<sup>u</sup><sup>19</sup> episcopus civitatis Narniensis. Fortunatus<sup>v</sup><sup>20</sup> episcopus civitatis Neapolitanae<sup>w</sup>. Anastasius<sup>21</sup> episcopus civitatis Tyburtinae. Proculus<sup>22</sup> episcopus civitatis Praenestinae.

SUBSCRIPTIONES PRESBYTERORUM<sup>x</sup><sup>23</sup>.

Laurentius presbyter tituli<sup>y</sup> sancti Silvestri<sup>24</sup>. Iohannes presbyter tituli sancti

<sup>a</sup>) ita B; Nepesinae Mon. Big.      <sup>b</sup>) Tarrentinae B; Turrentinae Mon.      <sup>c</sup>) ita B. Mon. Big.; 15  
Gratianus edd.      <sup>d</sup>) ita B; Num. Mon.      <sup>e</sup>) Falaritanae om. Big.; Falerinae edd.      <sup>f</sup>) Agellus Mon. Big.  
<sup>g</sup>) ita B. Mon.; Bleritanae Big.; Bleranae ed. M.      <sup>h</sup>) Anagnae B.      <sup>i</sup>) ita B. Big.; Beliterne Mon.  
<sup>k</sup>) ita B. Mon.; Dulcimensis Big.; Fulginiensis edd.      <sup>l</sup>) Terrentinae B; Ferentino Mon. Big.      <sup>m</sup>) ita B;  
Turcunensis Mon.; Fuscanensis Big.; Virbonus ep. civ. Tusc. om. edd.      <sup>n</sup>) Baldinius edd.      <sup>o</sup>) ita B;  
Rosellas Mon. Big.      <sup>p</sup>) Secundus Big.      <sup>q</sup>) ita B; Tauraminio Mon.; Tauromaenio Big.      <sup>r</sup>) Fe- 20  
rentis edd.      <sup>s</sup>) Alburnensis Mon.      <sup>t</sup>) Viriculane Mon.; „alias Oericolanae“ notant Maurini.      <sup>u</sup>) ita  
B. Mon.; Constantius Big. edd.      <sup>v</sup>) Fortunatus Mon.      <sup>w</sup>) Neapolim Mon.      <sup>x</sup>) ita B; in-  
cipit subscriptio presbyterorum Big.; subscriptio presbyterorum edd. — Presbyterorum subscriptiones eodem  
ordine exhibet Monac. atque supra episcoporum.      <sup>y</sup>) tituli, quod tit abbrev. codd., et hic et ceteris locis  
om. editiones. 25

non multo ante consecrato cf. ep. V, 51 n. 5. — Subscriptiones quae sequuntur sunt episcoporum ad dioecesim metropolitanam urbis Romae pertinentium, praecipue eorum, qui prope Romam erant.

1) Cf. ep. II, 12 n. 1.      2) Cf. ep. I, 40 n. 1.      3) Cf. ep. III, 20 (eidem Gratoso missam),  
qua ecclesia Curium Sabinorum unitur Nomentanae. Gratoso ante a. 600 m. Oct. Constantius successerat:  
cf. reg. XI, 15.      4) Iohannes idem esse videtur, cui ep. II, 26 visitatio ecclesiae Nepesinae, non multum 30  
ab ecclesia Faleritana distantis, iniungitur.      5) Agnellus antea Fundensis episcopus fuerat: cf. ep. II, 6,  
III, 13.      6) Hic alias ignotus est.      7) Idem Dominicus ep. I, 13 commemoratur.      8) Hic alias  
ignotus est.      9) Idem Felix commemoratur ep. IX, 45. 98. Dial. IV, 51. 55.      10) De hoc Iohanne  
cf. ep. II, 17. 48 not.      11) Volsinii appellatur Urbs vetus; duae enim erant urbes Volsinii: urbs  
vetus (Orvieta) et altera non multum distans in lacu sita, post illius expugnationem condita (Bolsena). 35  
Candido ep. II, 11. VI, 27 missae sunt.      12) Hic alias ignotus est; a. 585–6 Redemptus, episcopus  
Ferentini (in Hernicis) mortuus est, ut apparet ex Dial. III, 38.      13) Hic alias ignotus est; de civitate  
Tuscanensi (Toscanella) cf. Troya, C. d. V p. 419 ss.      14) Balbino, episcopo Rosellano, ep. I, 15 visitatio  
ecclesiae Populoniensis iniungitur.      15) De Secundino, qui solus ex Siciliae episcopis huic concilio sub-  
scripsit, cf. ep. I, 71 n. 4.      16) Hic alias ignotus est; Bonifatius quidam qui in ea civitate quae Fe- 40  
rentis dicitur (Ferentia in Tuscia) episcopatus officium tenuit commemoratur in Dial. I, 9.      17) De  
hoc cf. ep. III, 11 (n. 1), ex qua apparet eum a. 592, Oct., episcopum Albae factum esse.      18) Totila reg-  
nante Fulgentius episcopus in civitate Utricolana erat: cf. Dial. III, 12.      19) Constantinus, ut videtur  
a. 593 fin., Praeiecticio successit (cf. ep. II, 4 n.) et, ut ex ep. IX, 60 apparet, a Gregorio visitator ecclesiae  
Interamnensis factus est. Narniam iam a. 591 m. Sept. in Langobardorum potestate fuisse Ewald in n. 1 45  
ad ep. II, 4 contendit; non ita Troya, C. d. I p. 248 n. 1, qui putat in hac civitate milites Langobardos  
transfugas quidem fuisse, sed non dominos.      20) De Fortunato cf. ep. III, 58 n.      21) Anastasius alias  
ignotus est; in Dial. III, 35 (a. 593) Floridus, Tiburtinae ecclesiae episcopus, commemoratur.      22) Pro-  
culus alias ignotus est.      23) De titulis cf. Hinschium, Kirchenrecht I p. 309 ss. (§ 32) et Gregorovium,